*MASTER*
*NEGATIVE*
*NO. 91-80101-19*

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

*AUTHOR:*

[BERGH, TH.]

*TITLE:*

[AUGUSTUS]

*PLACE:*

HALAE

*DATE:*

1869

Master Negative #

91-80101-19

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

874
Z8
Q
v.8

[Bergh, Th
Augustus.] Halae, formis Hendeliis, 1869.
xiii p. 28½ cm.

Program, Halle.

Volume of [illegible]

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X2A
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4/27/91 INITIALS BH
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT







AIIM

**Association for Information and Image Management**

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches










MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

# INDEX SCHOLARVM

IN

## VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA HALENSI CVM VITEBERGENSI CONSOCIATA

## PER AESTATEM

**ANNI MDCCCLXIX**

A DIE XII. M. APRILIS VSQVE AD DIEM XV. M. AVGVSTI

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

Th. Bergk, Augustus

HALAE

FORMIS HENDELIIS.

69

UNIVERSITATIS FRIDERICIANAE
RECTOR

# HERMANNUS KNOBLAUCH

CUM SENATU

S. D.

CIVIBVS SVIS.

Indicem rerum ab Augusto gestarum, insigne et litterarum latinarum et historiarum monumentum, post aliorum hominum doctorum curas nuper Theodorus Mommsenus denuo examinavit, neque falso asserit p. XXVIII. sua potissimum opera in integrum restitutum esse, idem tamen ingenue profitetur etiam nunc superesse lacera et depravata, quae iis qui post venient redintegrare et emendare liceat. Itaque ultimum hunc praefandi laborem suscepturus emendationum spicilegium proponam.

Ordior a loco laterculi IV. 35, qui hunc in modum est in refingendus:

> Lu[do]s feci me[o nomine] quater, aliorum autem m[agistr]a[tuu]m vicem ter et viciens.

similiterque graeca restituo:

> [Θέας ἐποίησα] δι' ἐμοῦ τετ[ρ]ά[κις], διὰ δὲ τῶν ἄλλων ἀρχῶν [ἐν μ]έρ[ει τρὶ]ς καὶ εἰκοσάκις.

quae nulli sunt obnoxia dubitationi, ut mireris editorem hoc non vidisse, qui scripsit magistratuum *ter et viciens*, sed ipse confessus hoc uno vocabulo interstitium non compleri; at Perottus fide maxime dignus auctor exhibet . . . . CA . . . . VICEM, literis ICE sane evanescentibus, sed non dubiis; nam apparet vicem hoc loco convenientissimum esse, neque abundat haec vocula, sed consulto est addita, tueturque etiam Suetonius vit. Aug. 43, qui hunc ipsum locum respiciens scripsit: fecisse se ludos ait suo nomine quater, pro aliis magistratibus, qui aut abessent aut non sufficerent, ter et viciens, nisi quod orationem variavit. Neque aliter legit graecus interpres, nam quod ibi extat *ΑΡΧΩΝ . . . ΕΡ . . . ΙΙΣ*, olim fuisse ἐν μέρει ut scripsi manifestum est, quamquam metaphrastes latinorum verborum vim non satis assecutus est; nam magistratuum existimavit a nomine suspensum esse. ut vicem iam adverbiasceret, quemadmodum alias quoque homo graecus nonnulla perperam interpretatus est: fuit haud dubie imperatori ab epistolis graecis, cf. quae Friedlaenderus Sittengesch. Roms I. p. 143 seq. de his scribis exposuit.

Leviuscula nonnulla paucis perstringam, velut I. 12. malim vici in acie (Momms. vici acie), ubi in lapide est VICI N . . . L, quamquam interpres παρατάξει omissa praepositione

*

scripsit. I. 15 malim: „externas gentes, quibus tuto [parcere lic]ui[t, co]nservare, quam excidere malui," ubi M. potui scripsit, nisi forte praestat: „quibus tuto [ignosci lic]ui[t]." nam cum modo praecesserit verbum parcendi, minus commoda est repetitio: passiva autem forma etiam Ovidius usus est de arte am. I. 219: Nocte latent mendae vitioque ignoscitur omni. Atque hoc supplementum confirmat graecus interpres *οἷς ἀσφαλὲς ἦν συγγνώμην ἔχειν*. II. 18: „univer[si cives sacrificaverunt continuo] apud omnia pulvinaria pro valetudine mea." ferri non potest continuo, sed saepe scribendum; nec tamen interpres culpandus, qui *συνεχῶς* scripsit, nam glossographi veteres *συνεχῶς* interpretantur assidue, continuatim, frequenter, atque ita Graeci scriptores, velut Apollonius de pronom. p. 396 C.: *καὶ Ἀλκμὰν δὴ συνεχῶς αἰολίζων*. ubi si quis *συχνῶς* scribere malit, nihil aget, nam huius voculae eadem est ambiguitas.[1]) Quod subsequitur ita videtur redintegrandum: „et sacrosan[ctus ut essem in perpetuum]," graecus interpres hoc neglexit. Parum dignum Augusti modestia supplementum IV. 50: „quae spoliatis tem[plis hostis] cum quo bellum gesseram privatim possederat." scripsit potius „ille, cum quo bellum gesseram," et pariter corrigendum graecum exemplum ἐ[*κεῖνος πρὸς ὃν ἐπε*]*πολεμήκειν*, quamvis in lapide non E, sed O sit. V. 34. omnino et antea scribendum, ut iam aliis placuit, graeco interprete, qui *καὶ ἔμπροσθεν* scripsit, consentiente, non item antea, quamquam item extat in hoc monumento. Neque V. 50 scribendum: Ad me ex In-[dia regum legationes saepe missae sunt, nunquam adhuc visae], sed nunquam antea, quod etiam graeca interpretatio commendat, ubi legitur *οὐδέποτε πρὸ τούτου* [*τοῦ*] *χρόνου ὀφθεῖσαι*. Item ex graeca interpretatione pauca quaedam delibabo. I. 15 *κρί*[*σεσιν ἐννόμοις*] potius quam *κρίμασιν* scribendum; in iis quae post I. 39 leguntur *καὶ ταύτης αὐτῆς τῆς ἀρχῆς* puto *αὐτῆς* ex prono operarum errore esse ortum, cum *αὖ* incidi oportuisset, similiter IV. 33 *δὶς ἀθλητῶ*[*ν*] *τ*[*ῶ*]*ν πανταχόθεν μεταμεμφθέντων* videtur articulus *τῶν* delendus. V. 2 [*ἐν παρατ*]*άξει* corrigendum, i. e. in acie, non *ἐν τάξει*. V. 39. malim *σημέας στρατιωτικὰς* [*πλείους*] quam *πολλάς*.

Sed iam graviora aggredior. Statim in primordio lat. l. 5 quae leguntur, offensioni sunt obnoxia:

> Eodemque tempore imp]erium mihi dedit. Res publica, n[e quid accideret, a senatu mihi] pro praetore simul cum consulibus [t]r[adita est tuenda.

Ita Mommsenus hunc locum constituit, secutus interpretationem graecam, quemadmodum Kirchhoffius conformavit: sollerter utrumque criticum suo negotio functum esse haud infitior, neque tamen haec satisfaciunt: propriis enim verbis hac in re usum esse Augustum consentaneum est: verba latina sicut hic leguntur oratorem decent, a publico monumento abhorrent. Supplementa

[1]) Mirum fortasse videbitur, quod graecus interpres *σύμπαντες οἱ πολεῖται ὁμοθυμαδὸν* scripsit, ubi latinum exemplum nihil nisi universi cives suppeditat, sed addidit hoc de suo, quemadmodum glossographi veteres *ὁμοθυμαδὸν* interpretantur: universi, una, pariter, gregatim, simul. Vicissim graecus interpres passim neglexit quae non erant praetermittenda, velut II. 2 verba: [iuxta ae]des Honoris et Virtutis in graeco exemplo plane desiderantur; ita fit, ut etiam latinorum verborum restitutio sit incerta, nam Mommseni supplementa non sufficiunt.



autem haec cum a graeca metaphrasi suspensa sint, primum examinemus necesse est, quae fides Kirchhoffii coniecturis sit habenda, scripsit enim ille:

> [*Ἡ δὲ α*]*ὐ*[*τὴ ἐ*]*μοὶ ἔδ*[*ωκεν ἀρχὴν κα*]*ὶ τὰ δημόσια πράγματα, μή τι*[*συμβ*]*ῇ*,
> *ἐμοὶ με*[*τὰ τῶν ὑπά*]*των προνοεῖν ἐπέτ*[*ρ*]*εψεν ἀντὶ στρατηγοῦ* [*ἢ σύγκλητος*].

Prima verba cum ipsa non satis commoda sint, tum a litterarum vestigiis nimium recedunt, in lapide enim est *OY* vel *ΩY*, itaque *αὐτὴ* parum veritatis specie commendatur, *συμβῇ* autem, licet scite inventum, prorsus adversatur litteris, quarum vestigia quamvis evanida haec fere comparent *MHTIΛΛΡΗΙ*, itaque prima certe littera verbi quod desideratur non fuit *Σ*. Denique novissimum vocabulum *ἡ σύγκλητος* plane molestum; quod si in libro legeretur, unusquisque tamquam librarii inutile additamentum expungendum esse censeret. Iam non dubito, quin in altero versu in litterarum reliquiis *MHTIBΛΛBHI* delitescat, atque iam plana est verborum conformatio, quae apud Kirchhoffium satis est impedita. Totus autem locus ita videtur redintegrandus:

> *Μετ' οὐ πολύ μοι ἔδωκεν ἀρχήν, καὶ τὰ δημόσια πράγματα, μή τι βλαβῇ,*
> *μετὰ τῶν ὑπάτων προνοεῖν ἐπέτρεψεν ἀντὶ στρατηγοῦ ἐξαπελέκεως.*

Iam latina quoque probabiliter restituere licet in hunc modum:

> Non ita multo post imperium mihi dedit, et respublica ne quid detrimenti caperet, me pro praetore simul cum consulibus providere iussit.

Post dedit inserui et, quod in extremo versu facile oblitterari vel a describentibus negligi potuit: copulam et instituta sententia plane flagitat et graeca interpretatio confirmat; nam eadem opera senatus Augusto imperium dedit et operam dare iussit, ne respublica quid detrimenti caperet. Deinde providere scripsi, lenem adhibens medelam apographis, in quibus est IR. Sane alias vel videre vel operam dare ea de re dicitur, at non minus commodum providere, idque ipsum graecus interpres opinor legit, qui *προνοεῖν* scripsit. Carmen solenne, quod in graeco pariter atque in latino exemplo recuperavi, etiam Mommsenus suspicatus est restituendum esse, sed quod dubitanter supplevit:

> Res publica, ne quid detrimenti caperet, me pro praetore simul cum consulibus ire ad exercitum iussit senatus.

improbandum omnino: ita enim potentia illa, quae latissime patebat, arctissimis finibus circumscripta fuisset. Ceterum decreta senatus honorifica, quae Augustus dixit supra, etiam ad hoc ipsum SC spectant, quod moneo propter Mommsenum.

Non possum silentio praetermittere alium locum lat. l. 16, quamquam restitutio incerta:

> Millia civium Roma[norum in] sacramento meo fuerunt circiter . . . . . ta, ex quibus dedu[xi in coloni]as aut remisi in municipia sua stipen[dis emeri]tis millia aliquanto [plus qu]am trecenta.

Numerum militum, qui in verba Augusti iuraverunt, periisse valde dolendum: Mommsenus Gronovii supplementum quingenta rationibus commendare instituit, et cum CCC millia militum honestam missionem accepisse dicantur, sub Augusti autem mortem plus quam CL millia sub signis fuerint, inde conficit L millia vel in bello cecidisse, vel in militia diem supremum obiisse, vel denique cum ignominia missos esse: mihi quidem hic numerus nimis exiguus videtur, reputanti plurima et gravissima bella, quae Augusto imperante populus Romanus saepe haud

prospere gessit, ita ut multo plures milites vel ferro vel morbis ac laboribus absumtos fuisse consentaneum sit: neque eorum, qui honesta missione non dignati sunt, exiguus fuisse videtur numerus. Procul autem habenda est suspicio, Augustum, ut imperii sui felicitatem exaggeraret, scientem dolo malo numeros adulteravisse. Omnino autem si quis haec ad iustos calculos revocare velit, investigandum erit, quot milites singulis annis dilecti fuerint: quem numerum valde variavisse pro re nata consentaneum est: inprimis autem tenendum, exercitum, quem moriens Augustus Tiberio tradidit, pacato orbe terrarum aliquanto minorem fuisse quam priore tempore, ubi gravissimorum bellorum discrimina erant subeunda. Denique comprehendit haec summa, quam indagare studemus, etiam eos milites, qui ubi primum Octavianus exercitum comparavit in eius verba iuraverunt. Itaque haud scio an millia circiter sescenta scribendum sit, ut quarta fere militum pars i. e. millia CL vel ferro absumti sint vel sub vexillis mortem obierint, vel sine praemiis missi. Nonnullis fortasse etiam hic numerus non satisfaciet, sed quominus septingenta vel octingenta scribatur, arctius spatium prohibet, nongenta autem, quod hiatum commode explet, fidem omnino videtur excedere.

Quae subsequuntur, nego a Mommseno recte adornata esse, qui scripsit:

> Ex quibus dedu[xi in coloni]as aut remisi in municipia sua stipen[dis emeri]tis millia aliquant[o plus qu]am trecenta, et iis omnibus agros a [me emptos] aut pecuniam pro pr[aediis a] me dedi.

At vero Augustus non ex suis opibus agros emit aut pecuniam sua impensa militibus qui stipendia emernerunt persolvit, itaque nullo pacto ista supplementa ferri possunt: mihi quidem Augustus scripsisse videtur:

> et iis omnibus agros a[dsignavi] aut pecuniam pro pr[aemis milit]iae dedi.

Certum est adsignavi, sprevit tamen Mommsenus, qui quod suum supplementum collato loco 3, 22 commendari dicit, dissimilia prorsus comparavit. Deinde dubitanter scripsi pro praemi]s militiae, nam in lapide videtur ME legi, solus Lucas AE exhibet. sed fuit opinor IAE. Fortasse existimet aliquis mei supplementi non satis capax esse interstitium, siquidem novem litteras desiderari censet Mommsenus: sed haec ratio parum certa, quemadmodum in proximo versu octo litteras oblitteratas esse dicit, at secundum supplementum, quod ipse Mommsenus probavit et omni ex parte certum est, novem desunt;[1]) itaque mea coniectura non est calumniae obnoxia. Praemia finitae militiae Tacitus dixit Annal. I. 26. Structuram ipsam ne quis a latini sermonis usu ac proprietate abhorrere existimet, adhibeo Ciceronis locum de provinciis consul. c. 3: „Quattuor sunt provinciae, quas vobis invitis et oppressis pestiferi illi consules pro eversae reipublicae praemiis occupaverunt.

Sed pergo ad locum non solum satis difficilem, sed eundem maximi momenti, ut jure suo Mommsenus p. 14 dicit, lat. I. 37 seq. Huius loci graeca tantum extat interpretatio, nam latina penitus oblitterata sunt praeter principium, in quo consulum nominibus anni indicantur

[1]) Legitur ibi: si quae minore[s quam trir]emes fuerunt.



quibus Augusto morum legumque regimen identidem est mandatum: nam de hoc gravissimo munere Augustus haec scripsit, quemadmodum Kirchhoffius conformavit:

> . . . τῆς συγκλήτου καὶ τοῦ δήμου τῶν Ῥωμαίων ὁ[μολογο]ύντων [ἐπιμελ]ητὴς τῶν τε νόμων καὶ τῶν τρό[πων τῇ με]γίστῃ [ἐξουσίᾳ ἐ[χειροτονήθ[η]ν. ἀρχὴν οὐδεμ[ίαν] πα . . . . . τ . . ρ . . η διδομένην ἀνεδεξάμην. ἃ δὲ τότε δι' ἐμοῦ ἡ σύγκλητος οἰκονομεῖσθαι ἐβούλετο, τῆς δημαρχικῆς ἐξουσίας ὢν ἐτέλεσα.

At haec pericula non satisfaciunt, nam multo plures litteras detritas esse manifestum, inprimis autem miror elementa IH, quae leguntur post ὁμολογούντων, quaeque non pertinere ad primas litteras vocis ἐπιμελητής certum est, plane neglecta esse: accedit quod dandi casus τῇ μεγίστῃ ἐξουσίᾳ a graeci sermonis proprietate abhorret; quae proxime sequuntur Kirchhoffius redintegrare non ausus est, Mommsenus proposuit ἀρχὴν οὐδεμίαν παραπλησίαν ἔπειτα διδομ ένην ἀνεδεξάμην, quae cum a litterarum vestigiis recedant, tum orationis tenore parum commendantur; certe dici debebat οὐδὲ ἀρχὴν παραπλησίαν. Verum arbitror has difficultates facili negotio expediri posse, si scripseris:

> τῆς συγκλήτου καὶ τοῦ δήμου τῶν Ῥωμαίων ὁμολογούντων ἡ[ρέθην ἐπιμελ]ητὴς τῶν τε νόμων καὶ τῶν τρό[πων, τὴν με]γίστην [παραλαβὼν τῶν] χειροτονητῶν ἀρχήν· οὐδέ μ[οι] πά[λιν εἰς πέντε ἔτ]η διδομένην ἀνεδεξάμην.

Supersunt in exemplo Ancyrano

. . . ΙΩΝΟ . . . . . ΥΝΤΩΝΙΗ . . . . . ΙΙΙΙΣ

tot enim elementa desiderari videntur: fortasse igitur aliquis existimet spatium mei supplementi ἡρέθην ἐπιμελητὴς non satis capax esse; at apographum in hac quidem parte non plane ad amussim factum; nam ut hic interstitium nimis est contractum, ita quod antecedit nimis est amplum: neque enim novem, sed sex tantum litteras intercidisse apparet: itaque haec meae coniecturae haud quaquam adversantur. Deinde exemplum Ancyranum exhibet . . . ΟΤΟΝΗΘΩΙ Apolloniense ΧΕΙΡΟΤΟΝΗΘΩΝ miro sane erroris consensu, nam coniunctivus verbi χειροτονηθῶ(ι) ab hoc loco plane alienus; nec tamen probabilis Kirchhoffii coniectura ἐχειροτονήθην nam Η et Ω quantum maxime distant. Scripsi igitur χειροτονητῶν; id pariter in Galatia et in Pisidia corruptum esse quamquam mirum, non tamen inexplicabile, barbarorum enim est perperam aspirare.[1]) Novissima ut potui redintegravi: nam in exemplo Ancyrano haec fere comparent elementa:

Μ . . . ΠΙ . . . . . Τ . . Ρ . Η

sed quot litterae interceptae sint, satis incertum. Εἰς πέντε ἔτη ut scriberem effecit Dionis Cassii auctoritas, qui et a. 735 et rursus a. 742 hanc curam Augusto in quinquennium mandatam esse memoriae prodidit: sane quod de prima vice dicit, fallitur, siquidem ipse Augustus testatur statim

[1]) Etiam alias hac aetate Τ et Θ permutatae, ut adnotavit Franzius El. Epigr. p. 249, Walpolium antestatus, cuius librum non licuit inspicere.

proximo anno 736 sibi eandem curam iterum fuisse demandatam, itaque videtur morum regimen primo in annum recepisse, sed a. 736 et rursus a. 742 nihil obstat, quominus credamus in quinquennium hoc officium Augusto iniunctum fuisse, sed exacto hoc altero quinquennio, hoc est a. 748 curam denuo sibi oblatam recusavit. Levis igitur Dionis error, qui primam officii huius vicem cum secunda, cuius omnino non facit mentionem, confudit; Suetonius autem cum morum legumque regimen perpetuum fuisse dicit, fortasse in hunc errorem incidit, quod a. 735 rogatio in hanc sententiam, ut videtur, facta est, sed Augustus callida modestia sua usus recusavit.

Accedo ad alium locum lat. II. 12:

> Legibus novi[s latis et reduxi multa e[xempla maiorum e]xolescentia iam in nost[ra civitate et ipse proposui] multarum rer[um exe]mpla imitanda posteris.

ita haec constituit Mommsenus, adiutus graeca interpretatione, quae integra servata est: *εἰσαγαγὼν καινοὺς νόμους πολλὰ ἤδη τῶν ἀρχαίων ἐθῶν καταλυόμενα διωρθωσάμην καὶ αὐτὸς πολλῶν πραγμάτων μίμημα ἐμαυτὸν τοῖς μετέπειτα παρέδωκα*, nisi quod *ἀνωρθωσάμην* scribere malim, nam *AN* et *AI* saepius confusa. Nec vero latina graecis satis conveniunt: secundum graecum interpretem Augustus insignem sui confidentiam prae se fert, apud Mommsenum oratione modesta et valde ambigua utitur: atque ipse Mommsenus longe aliter verba latina, quemadmodum instauravit, interpretatus est, quam graecus metaphrastes: nam existimat hunc locum illustrari Suetonii testimonio vit. Aug. c. 89: „in evolvendis utriusque linguae auctoribus nihil aeque sectabatur, quam praecepta et exempla publice vel privatim salubria, eaque ad verbum excerpta aut ad domesticos aut ad exercituum provinciarumque rectores aut ad urbis magistratus plerumque mittebat, prout quique monitione indigerent.“ at levioris hoc momenti, neque verisimile Augustum id hoc loco significasse, itaque diligentissime vestigia graeci interpretis legens, hunc locum ita conformandum censeo:

> Legibus novi[s latis multa renovavi e]xempla maiorum exolescentia iam ex nost[ra civitate, et ipse de me] multarum rerum exempla imitanda pos[teris tradidi.]

Sequitur continuo locus graviter mutilatus:

> [Pro valetudine mea quinto quoque anno per consu]les et sacerdotes [ut vota susciperentur, senatus decrevit. Ex quibus] votis s[aepe] fecerunt vivo [me ludos . . . . . modo sacerdotu]m quattuor amplissima colle[gia modo consules . . . . . .

Supplementa haec graeca interpretatione nituntur, sed reliqua aegre in integrum restitui possunt, quandoquidem illa interpretatio hoc loco in arctum redacta nihil suppeditat nisi: *ἐκ τούτων τῶν εὐχῶν πλειστάκις ἐγένοντο θέαι, τότε μὲν ἐκ τῆς συναρχίας τῶν τεσσάρων ἱερέων* (haec homo graecus perperam interpretatus est, numero ad sacerdotes, non ad collegia relato) *τότε δὲ ὑπὸ τῶν ὑπάτων*. Inprimis emendatione eget VIVO, quod ineptum esse recte vidit Mommsenus. Solus Perottus hoc vocabulum addit, diligens ille quidem ac locuples auctor, sed potuit is quoque falsa specie decipi. Ego quidem mendum manifestum leni et probabili medela procurandum esse existimo:



> [Ex quibus] votis s[aep]e fecerunt Veiovi [et Apollini ludos vel sacerdotu]m quattuor amplissima collegia vel consules [eius anni.]

Apollini enim hos ludos dicatos esse testificantur nummi, quos Mommsenus adhibuit. Ad ludos hos a. u. 726 primum instauratos referendum Horatianum carmen I. 21, de cuius carminis tempore indagando valde dissentiunt, ut fieri solet, grammatici nostri; verum hic quoque assecutus est Frankius in Fastis Horatianis p. 163, inprimis poematis clausula usus:

> Hic bellum lacrimosum, hic miseram famem
> Pestemque a populo, principe Caesare, in
> Persas atque Britannos
> Vestra motus aget prece.

Apollini autem Veiovem addere sum ausus, cuius nomen ad Perotti scripturam VIVO proxime accedit: hunc enim deum averruncum et iuvenili specie insignem et sagittis instructum Apollini assimilaverunt, vide Gell. V. 12, 11: „Simulacrum igitur dei Vediovis, quod est in aede, de qua supra dixi, sagittas tenet, quae sunt videlicet partae ad nocendum. Quapropter eum deum plerumque Apollinem esse dixerunt, immolaturque isti ritu humano capra, eiusque animalis figmentum iuxta simulacrum stat.“ adde Preller Myth. Rom. p. 235. ed. I. Numen autem huius dei a Julia gente religiose cultum esse testatur titulus arae Bovillis repertae C. Inscr. Lat. 807: VEDIOVEI PATREI GENTEILES IVLIEI.

Satis incerta est restitutio verborum quae lat. IV. 38 extant:

> [C]on[sul XIII] ludos M[arti Ultori feci, quos post i]d tempus deinc[eps consules fecerunt.]

nam graeca quoque interpretatio non minus hiat; illud certum, Augustum non subiecisse numerum, quoties hi ludi celebrati sint, ut suspicatur Mommsenus: nam in anniversario spectaculo nihil attinebat tale quid addere. Fortasse scribendum:

> deinc[eps quotannis consules fecerunt, ob templum dedicatum.]

num singulis annis, quod facile aliquis praeferat, litterarum mensuram excedit. Et ad eundem modum graeca suppleverim:

> [Ὑ]*πατος τριςκαιδ[έκ]ατο[ν θέας Ἄρεω]ς ἐποίησα. ἃς μετ' ἐκεῖ[νον τὸν χρόνον ἐν τοῖς με]τέπειτα ἐνιαυτοῖς δ[ιὰ τὴν καθίδρυσιν τοῦ ναοῦ] ἐποίησαν οἱ ὕπατοι.*

sive *ἀφιέρωσιν* malis. Tunc autem graecus interpres verba ob templum dedicatum, quae ad primarium verbum feci referenda sunt, non recte ad secundarium enuntiatum pertinere credidit, quemadmodum etiam aliis locis erravit, velut lat. V. 53 verba latini exempli:

> Et Sarmatarum [qui sunt citra fluviu]m Tanaim [et u]ltra reg[es]

interpretatur: *καὶ Σαρματῶν οἱ ἐπιτάδε ὄντες τοῦ Τανάιδος ποταμοῦ καὶ οἱ πέραν δὲ βασιλεῖς*, ubi scribere debebat *τῶν ἐπιτάδε ὄντων καὶ τῶν πέραν*.

Plura offendunt in lat. V, velut statim 3:

> Iuravit in mea verba tota Italia sponte sua et me bello, quo vici ad Actium, ducem depoposcit. Iuraverunt in eadem ve[rba provi]nciae Galliae, Hispaniae,

Africa, Sicilia, Sardinia. Qui [tum iuraverunt in] *eadem verba*, fuerunt senatores plures quam DCC, in i[is homines, qui poste]a consules facti sunt ad eum diem, quo scripta su[nt haec . . . . . , qui praetores] circiter CLXX.

Novissimorum restitutio incerta, quandoquidem graeca interpretatio adeo est oblitterata, ut paucae litterae superstites nulli sint usui. Sed quod Mommsenus: qui tum iuraverunt in eadem verba scripsit, eadem quod supra aptum, ubi qui praeter Italicos Caesari fidem dederint recensentur, hic incommodum, ubi non fit accessio, sed explanatur: neque illa lectio auctoritate locuplete munita, nam solus Mordtmannus, qui hic manifesto Zumptii supplementa secutus est, exhibet EADEM VERBA . . . VERVNT SENATORES, at Perottus homo curiosus et fide dignus: VERINT FVERVNT SENATORES. igitur haud dubie scribendum: qui [tum in mea verba iura]verunt. Deinde Mommseni supplementum homines qui futile, neque enim latina haec oratio, sed potius dicendum erat: ex iis postea consules facti sunt, neque successisse loci emendationem editori vel hiatus argait ultimo versu, quem non potuit de medio tollere. Summam tamen institutae sententiae hic quoque sagaciter assecutus est, atque verissime vidit vocabulum praetores interceptum esse. Inchoatam igitur emendationem absolvere conabor scribendo:

Qui[tum in mea verba iura]verunt, fuerunt senatores plures quam DCC, in i[is consulares . . . , poste]a consules facti sunt ad eum diem, quo scripta su[nt haec, circiter., praetores] circiter CLXX.

Augustus igitur primum indicat, in senatoribus, qui suas partes secuti sint, quot fuerint viri consulares, tum autem praeterea addit, quot ex iisdem senatoribus postea ad consularem et praetoriam dignitatem evecti sint. Numeros restituere quamvis temerarium sit, tamen consules fortasse aliquis C fuisse suspicetur, quandoquidem una tantum littera desiderari videtur, nec nimis magnus hic numerus; nam consentaneum est Augustum in creandis consulibus eorum potissimum rationem habuisse, qui tunc senatores fidem probaverant.

Sed transeo ad locum satis difficilem ac dubitationis plenum, lat. V. 10:

Gallias et Hispanias provincia[s ab ea parte, qua eas allui]t oceanus, [a] Gadibus ad ostium Albis flum[inis pacavi.]

nam in graeca metaphrasi non minus mutilata nihil fere est subsidii. Haec autem Augustum, qui a vanitate omnino alienus fuit, scripsisse nego: neque enim vere poterat dici, Galliam provinciam pertinere usque ad Albis ostium: ac praeterea tunc potius inverso ordine dicendum fuisset „Hispanias et Gallias . . . a Gadibus ad ostium Albis fluminis pacavi.“ si haec verba arcta necessitate coniuncta essent: nunc id ipsum indicio est, non perpetuum esse sermonis tenorem, sed duo enuntiata separatim fuisse posita. Tentari possunt plura, sed maxime probabilis videtur haec restitutio:

Gallias et Hispanias provincia[s penitus pacavi, et ultimus es]t Oceanus a Gadibus ad ostium Albis flum[inis domitus.]

quae cum rerum gestarum veritate conveniunt: Gallias enim praeposuit, quoniam hic quoque temporum rationem sequitur. Ultimus addidi, quoniam id graeca metaphrasis videtur suppeditare, nam in verbis *ΧΑΘΩΣΩΚΕΑ*, quae alii aliter tentaverunt, haud dubie *ἔσχατος Ὠκεανὸς*



delitescit, ubi *Θ* pro *T* scriptum, de quarum litterarum permutatione supra dictum est, *Ω* autem vice litterae *O* fungitur, qua vicissitudine nihil frequentius est in hoc Ancyrano monumento. Quod scripsi domitus, prorsus ad eundem modum dixit Suetonius Claud. 17: „navalem coronam, traiecti et quasi domiti Oceani insigne.“ Graeca igitur ad eundem modum sunt refingenda:

*Γαλατίας καὶ Ἰσ[πανίας ἐπαρχίας πάντως εἰρήνευσα, καὶ ἔσ]χατος Ὠκε[ανὸς ἀπὸ Γαδείρων μέχρι τοῦ] στόματος [Ἄλβιος ποταμοῦ ἐδαμάσθη.]*

Minore negotio expediri potest locus lat. V. 14 de Tiberii expeditione in extrema Germaniae a. 758:

Cla[ssi qui praeerat meo iussu] ab ostio Rheni ad solis orientis regionem usque ad . . . . . m navigavit, quo neque terra neque mari quisquam Romanus ante id tempus adit.

ubi Mommsenus post usque ad suspicatus est Cimbrorum promun[urium inserendum esse, sed eam suspicionem ipse abiecit, cum spatium non capiat tot litteras: initium autem instauravit secutus vestigia graecae interpretationis, ubi *στόλου . . . ἔπλευσεν* extat: at prorsus incredibile Augustum Tiberianae expeditionis memoriam perstrinxisse ad istum modum, quo uti solet, ubi de adversariis Antonio, Lentulo, aliis verba facit. Mihi quidem hic locus ita videtur restituendus esse:

Cla[ssis meo iussu et auspicio] ab ostio Rheni ad solis orientis regionem usque ad [Codanum sinu]m navigavit.

et ad eundem modum corrigenda graeca metaphrasis *στόλος . . . ἔπλευσεν*. Codanum sinum, quem Mela III, 6. et Plinius IV, 96. memorant, restitui, quamquam alia quoque nomina possunt optari, sed tenendum, orientis non septentrionis plagam dici.

Item Lat. V. 36 dissentio a Mommseno, qui scripsit:

Italia au[t]em . . . . . [colo]nias, quae vivo me celeberrimae et florentissimae fuerunt [duodetriginta a me] deductas habet.

at offendit numerus non suo loco insertus, et militum sive eiusmodi, quod ad orationem redintegrandam addere voluit editor, nimis supervacaneum et otiosum. Scribendum:

Italia autem [XXVIII] colonias, quae vivo me celeberrimae et frequentissimae fuerunt, [meo iussu et imperio] deductas habet.

Sane graeca metaphrasis videtur Mommsenianum a me commendare: ita enim interpres: *Ἰταλία δὲ εἴκοσι ὀκτὼ ἀποικίας ἔχει ὑπ' ἐμοῦ καταχθείσας*, at parum diligenter hic latina verba transtulit, quemadmodum scripsit continuo: *αἳ ἐμοῦ περιόντος πληθύνουσαι ἐτύγχανον*, ubi certe *μάλιστα* addi oportebat.

Augustus, ubi Pannoniorum gentes per Tiberium devictas et imperio populi Romani subiectas dixit, pergit deinde lat. V. 46:

Protulique finis Il[lyrici ad ripam] fluminis [D]an[uv]i[i]. Quod [D]a[cor]u[m transg]res[su]s exercitus meis [auspici]s pro[flig]a[tus vic]tusque [est et] pos[tea trans Danuvi]um ductus [exercitus meus Dacorum] gentes im[peria populi Romani perferre coegit].

Hic statim offensioni est genitivi forma Danuvii, qua non utitur Augustus, qui vel adiectivorum hunc casum si non contracte pronuntiavit, at certe scripsit: neque magis IV. 36 magister conlegii (ubi est . . I . II) debebat tolerari.[1]) Hoc autem loco ista forma omni fide caret, nam Perotti exemplum exhibet . A⅄. . . ITI, quibus elementis ita videtur utendum esse, ut rescribatur:

Protulique finis Il[lyrici ad Istri] fluminis [ripam dom]iti.

nam PAM testatur Mordtmannus, cui hic fides habenda videtur, extremo autem versu priore oblitteratae sunt litterae RI, quemadmodum supra I. 5 eodem loco ET revocavi. Istrum Augustus suo iure appellat, non Danuvium, quemadmodum citeriores scriptores solent; nam ab istius regionis gentibus Ister vocabatur; cf. Plin. IV. 79: „inde ostia Histri: ortus hic in Germania iugis montis Abnobae ex adverso Raurici Galliae oppidi multis ultra Alpis milibus ac per innumeras lapsus gentis Danuvi nomine, immenso aquarum auctu et unde primum Illyricum adluit, Hister appellatus.“ Atque etiam Sallustius Istrum vocavit, quamquam idem etiam Danuvii mentionem fecit, vid. fragm. Hist. III. 56. 57 ed. Kritz.; neque aliter graecus interpres, itaque etiam infra legendum:

[trans Istr]um ductus exercitus.

Quod e fuga revocavi domiti metaphrasta ut alia neglexit, est autem domare et perdomare solenne ac proprium ea de re verbum,[2]) quo Augustus etiam supra V. 28 utitur, ubi gentem Armeniorum per Gaium domitam esse dicit. Hoc autem loco ne quis erret, ad Istrum, non ad Illyricum referendum est: nam non solum gentes et terrae, sed etiam maria et flumina domari dicuntur, cf. quae supra ad V. 12 adnotavi.

Denique lat. V. 54:

Ad me supplices confug[erunt r]eges Parthorum Tirida[tes et postea P]hrat[es] regis Phrati[s filius]: Medorum [Artavasdes: Albanorum] Artaxares; Britann[orum] Dumnobella[unus] et Tim . . . . . [Sugambr]orum Maelo; Mar[c]omanorum Suebor[umque complures]

Albanorum Artaxares scripsit Mommsenus, ut mihi videtur parum probabili coniectura usus, siquidem modo legimus Albanorum regem Augusti amicitiam per legatos petivisse: neque graeca interpretatio eam suspicionem magnopere commendat, quae suppeditat *ΑΔ . . . ΧΩΝ*. Si licet in re incerta coniecturam periclitari, Adiabenorum scripserim, eique genti regis nomen videtur satis conveniens esse. Quod novissimo loco insertum est complures omnino displicet, nam praesertim potentissimae Marcomanorum gentis reges nominatim recenseri par erat; neque illius supplementi capax spatium neque in latino neque in graeco exemplo, quod pari detrimento affectum est. Credo equidem scribendum esse:

Marcomanorum Suebor[um Maroboduus.]

ut duobus simul nominibus Marobodui gentiles significentur. Marcomanorum gens Suevorum

[1]) Etiam IV. 43 PROELI in uno apographo est praelii.

[2]) Velut Suet. Tiber. 16: toto Illyrico perdomito et in ditionem redacto. Sallustius reges bello domitos, recens domitos Isauros Pisidasque, omni Gallia perdomita dixit.



fuit pars, quorum nomen satis late patet; nam quominus Marcomanorum Sueborumque restituatur augustiae loci prohibent. Maroboduum autem, antequam rerum potitus est, Romae commoratum et Augusti amicitia gratiaque usum esse testificatur Strabo VII. 290: *ἐπέστη γὰρ τοῖς πράγμασιν οὗτος ἐξ ἰδιώτου μετὰ τὴν ἐκ Ῥώμης ἐπάνοδον· νέος γὰρ ἦν ἐνθάδε καὶ εὐεργετεῖτο ὑπὸ τοῦ Σεβαστοῦ, ἐπανελθὼν δὲ ἐδυνάστευσε.* Sane Strabo dicit ex privato homine regem factum rerumque potitum esse, sed vel sic licuit Augostu Maroboduum in numerum regum referre, qui supplices ad se confugerint: ac nobili illum loco oriundum fuisse consentaneum est, firmaturque Velleii auctoritate II, 108, 1.

Sed haec quidem in praesentia sufficiant.[1])

[1]) Quod nuper in lectionibus Valerianis negavi Thyreatium ferendum esse, eiusque loco vel Thyreatum vel Thyreatarum scribendum dixi, monendum est, ne quis erret, hoc nomen latinis hominibus inusitatum a doctis tantum utriusque linguae adhibitum esse: nam ea nomina, quae vulgo et iam dudum usu recepta sunt, tertiae declinationis legem haud aspernantur, velut Caesar non dubitavit vulgarem sequi consuetudinem de bello civ. III. 12 ab Apolloniatibus, 13 in finibus Apolloniatium, 25 ad littora Apolloniatium scribens. — Item quod in titulo latino apud Boeckhium Inscr. Gr. I. 1711 est: Opoentam in mari, quod Anticyram vergit . . . . eam esse constitit, quae nunc ab aliis Opus, ab aliis Opoenta dicitur, tenendum est a Romanis Delphos navigantibus hanc nominis formam repetendam esse.

# I. Scholae Theologorum.

*a. Professorum ordinariorum.*

**F. AUGUSTUS THOLUCK, Dr.**

I. Publice *Formulam docendi Iacobeam et Petrinam* enarrabit d. Sabb. h. X-XI.
II. Privatim 1) *theologiam biblicam Nov. Test.* exponet quinquies h. XII-I. 2) *encyclopaediam et methodologiam theologicam* tradet bis p. hebd. d. Iov. et Ven. h. VI-VII vesp.
III. In seminario regio theologico *classem exegeticam Nov. Test.* moderari perget.

**JULIUS MUELLER, Dr.**

Privatim 1) *theologiam ethicam* quinis p. hebd. scholis, h. VIII-IX. 2) *theologiam symbolicam* quinis p. hebd. scholis h. IX-X docebit.

**JUSTUS LUDOVICUS JACOBI, Dr.**

I. Publice *discidia dogmatum in ecclesia Lutherana* enarrabit d. Sat. h. XII-I.
II. Privatim 1) *historiae ecclesiasticae partem alteram* enarrabit sexies p. hebd. h. XI-XII. 2) *epistolam ad Galatas* scriptam interpretabitur d. Mart. et Ven. h. X-XI.
III. In seminario regio theologico *exercitationes historicas* moderari perget.

**CONSTANTINUS SCHLOTTMANN, Dr.**

I. Publice *apologeticam christianam universalem* s. *theologiam philosophicam* docebit ter p. hebd. d. Lun. Merc. Ven. h. VIII-IX.
II. Privatim *librum Psalmorum* interpretabitur quinquies p. hebd. h. IX-X.
III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas Vet. Test.* moderari perget.

